Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Cui enim dixit aliquando angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum. Ego ero illi in patrem: et ipse erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit. Et adorent eum omnes angeli dei. Ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos suos spiritus: et ministros suos flammam ignis. Ad filium autem. Thronus tuus deus in seculum seculi: virga equitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te deus deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et tu in principio domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt celi, ipsi peribunt: tu autem permanebis. Et omnes ut vestimentum veterascent. et velut amictum mutabis eos et mutabuntur. Tu autem idem ipse es. et anni tui non deficient. Gr. Videbunt omnes fines terrae salutare dei nostri iubilate deo omnis terra. ℣ Notum fecit dominus salutare suum ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam. Alla. ℣ Dies sanctificatus illuxit nobis venite gentes et adorate dominum quia hodie descendit lux magna super terram. Alla. ℣ Natus ante secula de patre genitus. etiam filius in mirabilis interminus. Per quem fit machina celi ac terra maris et omnia que in eis sunt. Per quem dies et hore labant et se iterum tempora canunt. Quem angeli in aere poli voce consona semper canunt. Hic corpus assumpserat fragile sine labe originalis animus de carne marie virginis quo primi parentis culpam cuncta lasciuia tergeret. Hoc prius dicendum loquitur pulcrum ad auctam longitudine quod sol verus radio sui luminis veteris mundi depulerat genitus tenebris. Nec nox vacat noui sideris lux quod magorum oculos terruit caos. Nec gregum ingenis detulit lumen quos principat claritas militum dei. Gaude dei genitrix quam arcanis obstetricem vice concentus angeli gliam deo. Quisque prius unice qui humanam nostram causa formam assumpsisti respone supplicibus tuis. Et quorum participem te fore dignatus es iubes dignanter exorare supplicibus precibus. Ut per hos diuinitatis tue participes deus facere dignetur unice deo. Initium sancti euangelii. In principio erat s. johan. verbum. Et verbum erat apud deum. Et deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt. et sine ipso factum est nichil. Quod factum est in ipso vita erat. et vita erat lux hominum. et lux in tenebris lucet. et tenebre eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a deo: cui nomen erat iohes. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux